

1. Alberti J. Valent: / diff. de
munificentia Divina in
N. T. Lipsie, 1668.
2. Arcularij J. Dan: / diff. sistens
theses theologicae de Quæstiō-
nibus aliquot controversis,
Marburgi, 1695.
3. Hunny J. Agid / proposi-
tiones theologicae de eter-
na predestinatione filiorum
rum Dei ad salutem,
Francofurti, 1594.



99 A 6909

4
3


DE AETERNA PRAE-
DESTINATIONE FILIORVM
DEI AD SALVTEM

Propositiones Theologicæ:

PRÆTERITO MENSE IV-
NIO IN ACADEMIA VVITEBERGENSI DI-
sputatae, nunc verò recusæ, ad refellendum impudens mendacium
HEIDELBERGENSIVM Theologorum de Pelagiana hæresi,
quam illi Theologis VVitebergensibus, absq; vlla prorsus ratione,
mente, fronte, pudore & conscientia nequiter im-
pingere non sunt veriti.

A V T O R E

AEGIDIO HVNNIO, S. THEOLO-
GIÆ DOCTORE ET PROFESSORE IN
Academia VVitebergensi.



FRANCOFORTI AD MOENVM
exudebat Iohannes Spies.

M. D. XCIIII.

ЗАЯЧИИ ПЕТРА
МНОГОИ ИЗОГАНИ

СОСЛОВИИ ПРОСОПОГ

УЗАЧАЮЩИИ СЕ
СОСЛОВИИ ПРОСОПОГ

ДОЛЖНОСТИ ПРОСОПОГ
И ЗАЧАЮЩИИ СЕ

СОСЛОВИИ ПРОСОПОГ

LECTORI CHRISTIANO SALVTEM P.



Vanquam, humanissime Lector, hæ Theses de eterna
filiorum Dei Prædestinatione ad salutem, superiore
mense Iunio à me conscriptæ, in typos publicos relatæ,
et solenni Disputatione, Respondente clarissimo Viro,
Domino Dauide Rungio, tūm Theologiæ Candidato, nunc autem e-
iusdem Doctore promoto, ventilatae et excusæ sunt: adeò ut quis
forsan actum agi putet, si nouis typis exscriptas in lucem Ecclesiæ Dei
rursus emittam: attamen quia tanta est Caluinistarum Heidelberg-
gensium impudentia, ut Scripto Germanico nouissimè sparso (cuius
titulum fecere: Gegen Beweisung / daß die Heidelbergischen
Theologen / Gottes Wort / der Augspurgischen Confession /
Apologia, &c. nicht vngemäß lehren/ze.) nihil dubitárint, nobis,
Theologiæ in Academia VVitebergensi Professoribus, flagitosissi-
mam hæresin Pelagianorum in hoc doctrinæ capite præter omnem
causam et culpam nostram affricare: à qua hæresitam nos alienos ef-
feciunt, quām suos norunt digitos: et verò in Thesibus istis obie-
ctum hoc de Pelagianismo sic protritum et ex professo confutatum
est, ut si quis adhuc sensus politice saltem honestatis supereat Heidel-
bergensibus, nostram innocentiam, nolint velint, hinc animaduer-
tere, suęq; criminatio[n]is in nos iactæ pudendam vanitatem agno-
scere, testimonio propriæ suæ frontis et conscientiæ cogantur: planè
censui, operæ premium me facturum, si ad refellendum obscenum hoc
de Pelagianismo mendacium Propositiones hasce curarem recuden-
das, donec Heidelbergensium Scripto ex professo respondeatur, eiq;
grauis et neruosa Refutatio, vel ab Autore libri, quem maledica sua
insectantur lingua, vel à nobis, quorum doctrinam commentis suis
eminus allatrant, sed non refutant, opponatur. Quāmenim frigidæ
reliquam suam causam agant, dum se Confessionis Augustanae socios
mentiuntur, quām è conuerso longè lateq; in Articulo non uno vel
altero, sed capitibus benè multis ab huius sacratissimæ Confessionis
perpetua sententia deflectant: id non ieunis et misellis consecutiun-

culis, quales Caluiniani velut ex folijs fucus perizonia consuere, & ex
arena funiculis nectere consueverunt, sed invictis & irrefutabili-
bus argumentis per Domini gratiam orbi Christiano propediem de-
monstrabitur. Interim ut Lector religiosæ veritatis amans hanc ex-
plicationem Articuli de Prædestinatione, vice hac æqui bonig, consu-
lat, rogo. Vuitebergæ, die 6. Septembris, Anno Christi 1594.

Ægidius Hunnius D.

DE

*DE ELECTIONE SEV PRÆ-
DESTINATIONE FILIORVM DEI*

ad salutem.

Propositio. I.

Dicitur Concordia ex professo tractans hunc articulum & contra quosuis partim exortos, partim exorituros errores, summo studio munire cupiens, quinquies saluificam illam electionem nominat Electionem FILIORVM DEI ad vitam & salutem: ipso nimis tñtulo docens, non se vllam in Scripturis Electionem ad salutem inuenire, aut agnoscere, quām quæ ad Dei filios vnicè pertineat.

2. Eundem ergò titulum, toties ibi repetitum, usurpare, & Thesibus hisce nostris præfigere, fas nobis esto.
3. Ante omnia autem inter Præscientiam & Prædestinationem accuratè distinguendum est.
4. Præscientia est vniuersorum, quæ sunt, fuerunt, aut erunt; & ad malos etiam extenditur.
5. Æterna verò electio, seu prædestinatio ad salutem NON simul ad bonos, & ad malos, sed TANTVM ad bonos, & ad filios Dei pertinet, inquit Epitome iuxta, & Liber ipse Concordia.
6. Præscientia Dei notitiam rerum præscitarum significat; Prædestinatio verò non notitiam solum denotat, sed insuper CAUSA est salutis: estque specialis ACTIO Dei decernens, procurans, efficiens, iuuans, promouens, & ad optatum finem deducens salutem electorum.
7. Errant igitur Calviniani, qui præscientiam cum prædestinatione confundentes, præscientiam causam omnium rerum præscitarum, atq; sic consequenter omnium quoque scelerum & flagitorum constituunt, quod alibi ex ipsorum scriptis est demonstratum.
8. Non minùs teter esset error, si quis Prædestinationem, vel electionem saluandorum ex mera præscientia definire, & concurrentem specialem illam, quam diximus, actionem efficacem Dei tollere vellet.
9. Interim licet à præscientia Prædestinatio suis limitibus distinguitur, non tamen hæc ab illa determinatè sumptâ, diuellitur aut separatur, siquidem & Apostoli scribunt, *Qvos PRÆSCIVIT, Rom. 8. hos 1. Pet. 1.*

hos prædestinavit. Et rursum; Electi estis κατὰ πρόγνωσιν secundum præcognitionem, vel præscientiam Dei.

io. Ideoq; liber Concordiæ sic inter prædestinationem & præscientiā distinguit, vt nihilominus hanc cum illa manifestissimè coniungat, dicens: Deus illo suo consilio, proposito & ordinatione, nō tantum in genere salutem suorū procurauit: Verūm etiam omnes, & singulas personas electorum (qui per Christum saluandi sunt) CLEMENTER PRAESCIVIT, ad salutem elegit, &c.

ii. Sic ergò definitius illam: Prædestination est diuinæ voluntatis propositum, seu decretum, ab æterno factum, quo Deus pater, ex mera gratia, iuxta præcognitionem suam in Christo Iesu, filio suo, ad salutem elegit, & certò saluare constituit eos omnes, qui operatione Spiritus sancti credituri erant in ipso ad vitam æternam.

12. Hæc definitio, quia totius nostræ Disputationis quasi σύνοψις futura est: membratim illam ad sacræ scripturæ canonem exigamus.

13. Et primò quidem Paulus electionem nostri ad salutem diserta voce nominat propositum, & decretum voluntatis Dei, quando nos prædestinatos scribit secundum propositum ipsius, & iuxta decretum voluntatis ipsius, Ephe. i.

14. Vnde liquet, Electionem, à voluntate illa generali, quæ approbationis dicitur, & qua vult Deus, omnes homines saluos fieri, necessariò esse distinguendam.

15. Etenim voluntate approbante, Deus aliqua vult, quæ tamen in actum non traducuntur. Vult conuerti totum mundum, nec tamen totus mundus conuertitur.

16. Cæterum voluntate decreti, seu propositi, quæ Deus statuit, ea certò veniunt. Iuxta illud Esa. 14. Dominus exercituum decreuit, quis poterit infirmare? Et rursum: Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet, Esa. 46.

17. Quoniam ergò prædestination definitur voluntate DECRETI, sequitur, eam euacuari, aut euentu contrario interuerti non posse: ac proinde ad eos solos esse referendam, qui salutem consequuntur. Iuxta illud: Quod querit Israel, non est assecutus: Electio autem ASSECVTA est.

18. De hac DECRETI voluntate, qua Elecio definitur, Concordia Formula palam enunciat, quod Deus in æterno suo consilio

DECRE-

- D**ECREVERIT, quod PRAETER eos, qui filium eius Iesum Christum AGNOSCUNT, & in eum verè CREDUNT, NEMINEM saluum facere velit.
19. Porro electionem ab æterno esse factam, Paulus testis est, scribens Ephes. 1. Elegit nos in ipso, antequam iacerentur fundamenta mundi.
20. Hoc indubitatò credimus, docemus, profitemur, & testamur solenniter, Electionem non demum fieri in tempore, multoq; minus post mortem demum hominis, sed, ut rursus docet Apostolus, ante tempora æterna, 2. Timoth. 1.
21. Porro cum in definitione additur, eligere Deum homines ex gratia: prima notatur causa, principium & fons electionis nostræ, Gratia Dei.
22. Sicut scriptum est, Ephe. 1. Prædestinavit nos, ut adoptaret in filios, per Iesum Christum in sece iuxta εὐδοκίαν voluntatis suæ, ut laudetur gloria gratiæ suæ.
23. Falsum igitur est commentum, Deum ob piæ uisa bona opera prædestinare homines ad vitam æternam.
24. Cui pronunciato scriptura palam contradicit, Roman. 9. nondum natis pueris, cùm neque boni quippiam fecissent, neque mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, dictum est illi: Maior seruiet minori: sicut scriptum est: Iacob dilexi: Esau verò odio habui.
25. Quem typum Iacobi & Esau Paulus ad mysterium æternæ Prædestinationis illustrandum referens, haud obscurè docet, electionem nostram merè esse gratuitam, neque ex ullo bonorum operum dependere vel merito, vel intuitu.
26. Quod iterum Paulus Rom. 11. testatur, inquiens: Sic igitur & in hoc tempore reliquæ secundū electionem gratiæ fuerunt. Quod si per gratiam, non iam ex operibus.
27. Itaque nihil in nobis intuetur Dominus, cuius dignitate, vel merito ad Electionem nostri moueatur, adeò, ut ne fides quidem ingrediatur hoc electionis arcanum, quatenus in nobis est, sed tantum quatenus extra nos quasi egrediens, illam æternæ salutis nostræ rupem, Iesum Christum, apprehendit.
28. Obiter h̄c monenda est Iuuentus de tribus terminis, quorum complexu definitur Electio.
29. Et quidē Gratia Dei, est terminus, A quo oritur electio. Redemptio

- demptio per Christum facta, est terminus, PER QVEM nobis parata ea est: salus autem, seu vita æterna, & hereditas filiorū Dei, est terminus, AD QVEM ceu finem ultimum tendit Electio.
30. Itaque si propriè, & ex scripturæ sensu atque usu loquamur, non ad gratiam, vel ad redemptionem, sed ex gratia, PER redemtionem illam Christi AD regnum cœleste, seu vitam æternam dicimus esse prædestinati.
31. Verum, ut in definitione progre diamur, quod adjicitur (iuxta præcognitionem suam) sumptum est ex Epistola Petri priore, quia fideles, quibus scribit, definit electos κατὰ πρόγνωσιν τοῦ πατρὸς, secundum PRAECOGNITIONEM aut præscientiam Dei Patris.
32. Petro suffragatur Paulus, Rom. 8. Quos PRAESCIVIT, hos & prædestinavit.
33. Quibus verbis Apostolus ad discriminem prædestinationum & non prædestinationum respiciens, non omnes simpliciter homines, sed speciali ratione præscitos prædestinatos esse confirmat.
34. Etenim illud præscire non indeterminatè hoc in loco, sed determinate sumitur.
35. Aliás quia præscientiæ Dei vniuersali & indeterminatae subiacent etiam impij, si hac illimitata significatione vox præscientiæ hic accipienda foret: concideret differentia, quam Paulus facit inter electos & non electos, referens (ut contextus verborum arguit) prædestinationem salutis ad solos eos, qui diligunt Deum, qui conformes fiunt imagini filij Dei, qui vocantur, qui iustificantur, & tandem glorificantur.
36. Specialiter igitur accipias oportet hoc Apostoli: Quos præsciuit, cum determinatione videlicet ad Christum, in quo facta electio est: ut indubius verborum sensus sit hic: Quos præsciuit, fore Christi per fidem, eos prædestinavit.
37. Quamobrem etiam in definitione subiungimus, Deum nos elegisse ad salutem IN CHRISTO IESU.
38. Idque repetitum est ex tractatu Paulino, Eph. i. Elegit nos IN ipso, antequam iacerentur fundamenta mundi. Et mox: Prædestinavit nos, ut adoptaret in filios verum Iesum Christum.
39. Errant igitur Calvinistæ, qui prædestinationem fingunt absolutam, descriptam ex sola, planeque indeterminata, & simplici voluntate Dei, omnes reliquas causas antegressa: cui deinde Christum in executione duntaxat substernunt, non autem ipsius primo & supre-

supremo Electionis æternæ proposito inclusum esse censem.

40. Nos verò cum Apostolo decernimus, illud æternæ prædestinationis propositum sic in Christo esse fundatum, ut absque intuitu Christi, & sacrosancti meriti eius nemo quisquam ad vitam eligi potuerit.

41. Ut enim eligerentur peccatores, fieri salua Dei iustitia non poterat, nisi interposito satisfactionis precio, quo lœsa æternæ iustitiae Dei pro peccatis ad plenum satisficeret.

42. Iam quia satisfactio illa Christi nobis ad salutem nihil proficit, nisi fide applicetur: sponte sequitur, Deum elegisse peccatores in Christo, non per incredulitatem reiecto, aut ignorato, sed fide agnito & apprehenso.

43. Quò pertinent Libri Concordiæ verba suprà memorata, decreuisse Deum in æterno suo consilio, quòd præter eos, qui filium eius, Iesum Christum AGNOSCUNT, & in eum verè credunt, neminem saluum facere velit.

44. Si decreuit, neminem saluum facere sine Christo per fidem agnito: vtique neminem etiam ad salutem illam elegit absque Christo agnito: quandoquidem ab æterno decernere, saluare, & ad salutem ab æterno eligere, prorsus æquipollent.

45. Itaque haud abs refides in Christum Iesum ipsam definitiōnem electionis nostræ ingreditur, cùm dicimus, elegisse Deum illos omnes, qui crediti erant in Christo ad vitam æternam. Neque vel Pelagianismum, vel Synergismum sapere hanc ipsorummet Apostolorum doctrinam, paulò post per Dei gratiam hac luce clarius ostendetur.

46. Certè Paulus, ut docet, IN CHRISTO nos esse prædestinatos, Eph. 1. sic non minori perspicuitate tradit, nos ēν τῇ πίστει τῆς ἀληθείας IN FIDE veritatis esse electos ad salutem, 2. Thess. 2.

47. Vbi fides non ex sua æstimatur vel dignitate, vel merito: sed ex dignitate sui correlati, nempe Christi, quem ipsa fiducialiter agnoscit & amplectitur.

48. Et quia secundum Apostoli vocem Electio facta est in Christo: certè electi non sunt, nisi qui sunt in Christo. In Christo verò nemo quisquam est, nisi per fidem.

49. Planum etiam est, Electionem ad salutem definiri prædestinationem εἰς οὐδεστιαν, adoptionem filiorum, Ephe. 1.

50. At prædestinationem hanc ad οὐδεστιαν, scribit Iohannes, Io-

B cum

cum habere in solis credentibus: Dedit, inquiens, potestatem filios
Dei fieri, nimirum his, qui C R E D I D I S S E N T in nomen ipsius, Ioh. I.
51. Eadem prædestinatio citra specialem Dei amorem & dilectionem,
qua, ut filios, complectitur electos suos, eosque diligit I N D I-
L E C T O, constare nullo modo potest, Ephes. I.

52. Iam verò speciali hac dilectione Dei, Spiritus sanctus nemini
nem à Deo diligī sine fide luculentissimè testatur, Heb. II. cum ait:
ἀδύνατον, I M P O S S I B I L E est Deo placere sine fide. Ergò nemo etiam
eligitur ad salutem sine fide, id est, sine Christo fide cognito &
apprehenso.

53. Quamprimum ab Electione fidem (vt ea relatè se fere habet) remoues,
protinus ipsum Christum inde remouisti. Ratio consequiæ est hæc: quia Christus ad salutem nobis ociosus manet, nisi
fide agnoscatur, eiusq; meritum applicetur.

54. Adhæc Deus non alio modo nos saluat in tempore, quām quo
ab æterno constituit saluare: propositum enim, & executio propo-
siti sibi mutuò corresponteant oportet.

55. Iam verò in tempore saluat Deus non nisi credentes in Christum,
Ioan. 3. & Marci 16. Ergò & ab æterno decrevit saluare, seu
(quod idem est) ad salutem istam elegit, non nisi hos, qui credituri
erant in Christum.

56. Præcognouit enim Deus, qui essent ex auditu verbi, operatio-
ne Spiritus sancti, consecuti fidem: & quia extra temporis ratio-
nem aspicit fidem in Christum, seu potius aspicit Christum fide co-
gnitum: ideò explicata illa de Deo κατ' ἀνθρωποπάθειαν loquendi ra-
tione, potius ad salutem DESTINARE dicitur CREDENTES,
quām Prædestinare CREDITVROS.

57. Non autem ociosè præcognouit eorum in Christum fidem,
sed id ipsum, quod de illis præsciuit, gratis ipse dare constituit ijs
omnibus, qui (vt Saluatoris voce loquar) audiunt à patre, & di-
scunt.

58. Qui verò ipse auditus verbi (ex quo fidem existere Paulus af-
firmat) non meritationem habet, sed organi duntaxat.

59. Siquidem Deo ita visum est, per prædicatum & auditum ver-
bum conferre fidem, & saluos facere credentes.

60. Quemadmodum neque auditus iste verbi per se hoc efficit, vt
fidem inde consequamur: sed Deus solus est, qui auscultatione ver-
bi mediante, fidem in nobis accedit.

Ioan. 6.

Rom. 10.

61. Quin

61. Quin ne audire quidem verbum possemus, nisi Deus misericordia sua nos præueniens, verbum illud salutis manifestaret, adeoque ab æterno decretum faceret, quod per istam Euangeliū prædicationem velle esse efficax.
62. Quod æternæ salutis organum qui vel negligunt, vel contemnunt, non iam aliquod absolutum Dei decretum Caluinisticum (quale nullum in scripturis obuium est) accusent, sed culpam damnationis omnem sibi imputent, dicentibus ad huiusmodi contemptores Apostolis: Vobis oportebat primò prædicari sermonem Dei: sed Q VI A R E P E L L I T I S illum, & indignos vos iudicatis æterna vita, ecce ad gentes conuertimur, Act. 13.
63. Sic ergo præsciuit Deus de Electis, non id, quod ipsi ad effici- Pelagianismus a-entiam salutis suæ allaturi erant, sed quod ipse met eis misericordi- ter erat largitus: idque non immediate, sed mediate, per ordinata pertè da- conuersionis, organa, ea verò non neglecta, vel spreta, sed usurpata, mnatur. quod & parabola Christi, de diuersitate Auditorum verbi, non ob- scure declarat, Luc. 8.
64. Quæ cùm ita sint, firmum fixum manet, quod Christus ait: Ioan. 15. Non vos me elegistis, sed ego vos: quandoquidem Christus non tantum fidem ipsum operatur, sed omnem quoque cursum, voluntatemq; in auditu externo verbi misericordia sua multipliciter anteuertit, ijs nimirum modis, qui hactenus sunt expositi.
65. Tenenda est hac de rebreuis, erudita & rotunda sententia Fulgentij, qua hanc de præscita fide electorum doctrinam à Pelagianismi & Synergismi criminis sic vindicat: Deus, inquit, prædestinavit ad regnum, quos ad se PRÆSCIVIT MISERICORDIAE PRAEVENTIIS AVXILIO REDITVROS, & in se, misericordiæ subseq- uentis auxilio, esse MANSVROS.
66. Hac ipsa de causa & nos in definitione ponimus, Deum ele- gisse eos, qui OPERATIONE SPIRITVS sancti credituri erant: hoc est (vt suprà declarauimus) vsu mediorum ad fidem peruen- turi, virtute non sua, sed ex toto, & in solidum diuinis spiritus opera- tione merè gratuita.
67. Hoc pacto Prædestinationis æternæ propositum illud est & manet CAVSA nostræ fidei: Sicut & missionis, passionis, & mortis filij est causa, atque nihilominus reciproco causarum & effectuum, sub diuerso genere, quasi reflexu, missio illa, passioq; Christi causa vi- cissim est meritoria nostræ ad salutem electionis.

68. Fidem verò, quatenus Christum intuetur, & gratiam eligentis Dei amplectitur, si quis causam electionis dicere formidat, satis nobis est, quòd nolens volens fateri cogitur, causam electionis esse Christum, idq; non simpliciter, sed in suo merito, per fidem imputato, cùm citra fidei imputationem, nobis nec Christus, nec meritum eius ad salutis rationes quicquam conferat.

69. Nec litigabimus cum quoquam, siue ille fidem appellat causam (non meritoriam, PROPTER quam eligamur, sed instrumentalem, vt & in negotio iustificationis) siue determinationem, siue perpetuam electorum notam, dummodò agnoscat, illam ab Electionis arcano non seclusam, sed eidem (vt & Liber visitationis habet) dicta ratione inclusam, quod in iuictis argumentis hactenus est demonstratum.

70. Obijcitur equidem Diai Augustini dictum, quo innuit, non eligi nos, quia credimus, sed credere, quia electi simus.

71. Et hoc quidem de causa meritoria intellectū, verissimum est. Neq; enim PROPTER præuisam fidem sumus Electi, vt nec iustificamur PROPTER fidem, sed PER illam.

72. Remota autem opinione meriti, vt & Pelagianorum ac Synergistarum errore, agnoscit Antiquitas rectè scripsisse eundem Augustinum lib. I. de predestinatione cap. 3. Non elegit Deus opera cuiusquam in præscientia, quæ ipse daturus est, sed FIDEM elegit in præscientia, vt quem sibi datus est, sed FIDEM elegit in præscientia, vt quem sibi crediturum præsciuit, ipsum elegerit.

73. Quam sententiam repetiuit tractatu in Iohannem 42. his verbis: Quoniam PRÆCIVERAT, qui fuerant CREDITURI, ipsos dixit ex Deo, quoniam regenerationis adoptione nascerentur ex Deo. Ad hos pertinet: Qui ex Deo est, verba Dei audit. Quòd verò sequitur: Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis, eis dictum est, qui non solùm peccato vitiosi erant, nam hoc malum commune erat omnibus: sed etiam PRAECOGNITI, quòd NON fuerant CREDITURI ea fide, qua sola possent à peccatorum obligatione liberari. Quapropter PRÆCIEBAT, illos, quibus talia dicebat, in eo permansuros, quòd ex Diabolo erant, id est, in suis peccatis atque impietate morituros, in qua ei similes erant, nec venturos ad regenerationem, in qua essent filii Dei, hoc est, ex Deo nati, à quo erant homines creati. Secundum hanc PRAEDESTINATIONEM locutus est Dominus, non quòd aliqua

quæma

quem hominem inuenierit, qui vel secundum regenerationem iam
esset ex Deo, vel secundum naturam iam non esset ex Deo.

74. Idem ad vnguem docet Ambrosius lib. 2. de vocatione gentium cap. 10. his verbis: In Electione, quicquid hominum in Christo
PRAECOGNITVM non est, nulla eidem ratione sociabitur.

75. Idem in cap. 9. Rom. Eius miserebor, quem **PRAESCIPI** post
errorem recto cordereuersurum ad me.

76. In cap. II. Ne omnem Israël dixisse diffidentem putaretur, ostendit, non repulisse Deum hereditatem suam, quam **PRAESCIIT**, id est, filios Abrahæ, quos **FIDELES** sibi **FUTVROS SCIT**. Necenim promitteret eis regnum, si sciret, nullum ex his **CREDITVRVM**.

77. Et mox: Non repulit Deus plebem suam, quam præscijt) Hoc est, quod dicit Saluator, Ioan. 17. Pater, quos dedisti mihi, custodiui,
& nemo ex his perijt, nisi filius perditionis. Ita & hi, quos **PRAESCIIT** Deus **CREDITVROS**, nemo ex his à promissione repulsus est.

78. Et rursum: Hoc est, quod vult intelligi, non iam ideò dignos esse eos omnes, quia filij sunt Abrahæ, sed illos esse dignos, qui filij promissionis sunt, id est, quos **PRAESCIIT** Deus promissionem suam **SVCCEPTVROS**, siue ex Iudeis, siue ex gentibus.

79. Hieronymus super verba, Rom. 8. His, qui secundum propositum vocati sunt) scribit: secundum quod (propositum) proposuit sola **FIDE** saluare, **QVOS PRAESCIVERAT CREDITVROS**, & quos gratis vocavit ad salutem, multò magis glorificabit ad salutem.

80. Idem super verba Rom. II. non repulit Deus populum suum, **οὐ περίγνω**, quem præcognouit) illam, inquit plebem, non repulit, **QVAM PRAESCIVIT ESSE CREDITVRAM**.

81. Theophylactus deniq; exponens illa verba Apostoli, 2. Tim. 2. **NOVIT** Dominus, qui sunt **SVI**: hoc est, à Deo sunt **PRAECOGNITI**, vt qui omnino ad eum pertineant & electi sint, vt ne peruertantur cum marcidioribus, & putridioribus.

82. Et quid opus Antiquitatis testimonij, cùm is, qui antiquior omnibus est, Christus, dicat de ouibus suis, id est, de electis: **Ego COGNOSCO oues meas?** Ioan. 10.

83. Cognoscit autem illas ab æterno. Et quos ab æterno cognovit fore oues suas? Nimirum credentes in illum, ipsomet hunc in modum explicante ad Iudeos: **VOS NON CREDITIS**, quia non e-

Itis ex o v i b u s meis, quemadmodum dicebam vobis: Oues meæ vo-
cem meam audiunt, & ego c o g n o s c o e a s.

84. Ex quibus verbis Liber Concordiæ manifestum discriminat inter electos & non electos, dicens: Quia de causa E L E C T I his
A b a l i j s , notis, in sacris literis, A B A L I I S D I S C E R N E N D I , describuntur: Oues meæ vocem meam A V D I V N T , & ego cognosco
scilicet nō e a s , &c.

85. Econtra de Iuda & reprobis legitur, quod illorum reiectione referatur in incredulitatem eorum praescitam, vel ab initio præconitam: dicente Ioanne: N O V E R A T I e s u s A B I N I T I O , qui essent
N O N C R E D E N T E S , & quis proditurus esset illum. Et hæc quidem de fidei in Christum præscientia satis.

86. Addit definitio, O M N E S C O S , qui credituri erant, esse electos ad salutem.

87. Vniuersalem igitur esse electionem, apparet vniuersalitate, non totum respiciente Mundum, sed ad omnes in Christum Iesum verè credentes pertinente.

88. Quo modo & Iustificatio, & promissiones illæ Euangelicæ, quæ fidei determinationem implicant, vniuersales sunt.

89. Ut cum dicitur: Omnis, qui crediderit in eo, non pudebit. Omnis, qui credit in eum, non perit, sed habet vitam æternam. Qui cunq; credit in me, habet vitam æternam.

90. Quemadmodum autem hæ propositiones hypothesin perse-

Matth. 10. uerantiæ includunt, iuxta explicationem Saluatoris: Qui perseue-
¶ 24. rauerit vsq; ad finem, saluus erit.

91. Sic & propositio, qua dicitur, Omnes credentes esse à Deo electos, itidem cum perseuerantiæ determinatione intelligenda est.

92. Siquidem qui ad tempus credebant & deficiebant postea, erant sane renati, erant iustificati: quia vero propria culpa rursum excidunt, nec ad glorificationem vsque pertingunt, ideo ex electis non sunt, nisi minus propriè illos tempore fidei illorum electos nominare libeat, quatenus ad tempus duntaxat habuerunt ea per fidem, quæ electi ad finem vsq; retinent.

93. Propriè autem, & ex Scripturæ phrasí solos eos nominari electos, qui ad finem vsque perseverant, paulò post demonstrabitur.

94. Porro sicut ratione omnium verè, & persecuter creden-
tium

tium Vniuersalis est electio: sic respectu totius mundi particularem eam esse certissimum est.

95. Christus ipse hoc bis confirmat, dum **P A Y C O S** ait esse electos, Matth. 20. & 22.

96. Nec tantum in nomine verbali pauci sunt electi: sed in principio quoq; pauci à Deo electi sunt.

97. Sic enim Paulus docet, **D E U M** ipsum eligere **N O N M V L T O S** sapientes secundum carnem, **N O N M V L T O S** potentes, **N O N M V L T O S** claro genere natos, i. Cor. 1. ob hoc ipsum videlicet, quia Dei sapientiae se opponunt.

98. Particularem esse electionem, amplius ostendit ipsa vox. Si quidem Salomon vocabulum Eligere, in ipsa hac materia interpretatur pro **S E P A R A R E**, pronuncians, Deum **S E P A R A S S E** sibi Israëlitas in hæreditatem **D E V N I V E R S I S P O P U L I S** terræ, i. Reg. 8.

99. Quod Moses commutato verbo sic effert: **T E E L E G I T D O-** Deut. 7.
minus, ut si ei populus peculiaris de **C V N C T I S G E N T I B V S** terræ.

100. Ad quam separationem electorum à reliqua reproborum multitudine respiciens Saluator ait: **E G O E L E G I V O S D E M V N D O**, Ioan. 15. Item: Manifestavi nomen tuum hominibus, quos **D E D I S T I** mihi **D E M V N D O**. Non **P R O M V N D O** rogo, sed pro his, quos **D E D I S T I** mihi, Ioan. 17.

101. Ideoq; dicuntur electi **S E M E N** sanctum, **R E L I C T I** in Zion, **R E S I D V I** in Ierusalem, **R E L I Q V I A** saluandorum, **R E L I Q V I A** secundum **E L E C T I O N E M** gratiarum, Rom. 15.

102. Et quia Paulus in catena illa sua, Roman. 8. tradit manifestè, Deum quos prædestinavit, etiam **V O C A R E**: maneat igitur inconclusa doctrina Ecclesiarum hinc astructa, extra cœtum vocatorum siue Ecclesiam non esse quærendos electos.

103. Præsertim cùm, teste Christo, cœtus electorum angustior etiam sit vocatorum cœtu: **M V L T I** vocati, **P A V C I** electi.

104. Quia rursum docet Paulus, illos prædestinatos, & secundum propositum vocatos etiam iustificari, & quidem ita iustificari, ut eis crima amplius intentariqueant: ne conemur electionem ultra iustificatorum cœtum extendere.

105. Omnes enim electos iustificari, omnes ad fidem (qua iustificamur) peruenire, omne, quod Christo (sub ratione æternæ prædestina-

- Ioan. 6.* destinationis) datum est à patre, ad ipsum venire: omnes oves Christi, siue (quod idem est) electos cognoscere Pastorem suum, & sequi illum, & quotquot præordinati sunt ad vitam æternam, credere: & fidem iustificam illam esse fidem electorum Dei, quæ ipsa tamen fides non est omnium simpliciter hominum (z. Thess. 3.) perpetua est, & decisiva totius Scripturæ sacræ sententia.
- Ioan. 10.*
- Acto. 13.*
- Tit. 1.*
- Esa. 10.*
- Rom. 9.*
- Rom. 11.*
- I.Pet. 1.*
- Dan. 12.*
- Matt. 24.*
- Ioan. 10.*
- Rom. 8.*
- Ioan. 6.*
- 2.Tim. 2.*
- Matt. 24.*
- Matt. 25.*
- Heb. 3.*
106. Quia deniq; concludit Apostolus, Quos Deus prædestinârit, tandem glorificari: palam est, prædestinatorum & electorum nomen & definitionem propriè ad eos solos dirigi, qui saluantur.
107. Reliquæ enim illæ (electorum) saluabuntur, inquit ex Esaia Paulus Apostolus. Et electio ASSE QVITVR salutem, quam licet quæsitam (sed ex operibus quæsitam) Israël affecutus non est: Et electi illi secundum præcognitionem Dei patris, custodiuntur virtute Dei per fidem ad salutem: & reportant finem fidei, salutem animarum: & saluabitur OMNIS, qui scriptus est in libro.
108. Nec in erroribus intereunt electi: nec rapiuntur de manibus Christi, & Dei, nec separari possunt per ullam creaturam à dilectione Dei, quæ est in Christo Iesu, Domino nostro. Nec perdit Christus quicquam EX OMNIBVS, quæ pater dedit illi: sed resuscitat ea in nouissimo die: solidum enim stat fundamentum Dei, habens signaculum hoc: Nouit Dominus, qui sint sui. Qui etiam in nouissimo die simul omnes congregabuntur, & statuerunt ad dexram, audiunti sententiam: Venite benedicti, &c.
109. Hæc verò non eò sunt accipienda, quasi certæ quædam ac definitæ personæ ita sint absolutè electæ, vt nulla ratione damnari possint: sed quòd Spiritus sanctus his solis electorum nomen attribuat, qui ad finem usq; initium substantiæ (vt Epistola Hebreis inscripta loquitur) firmum retinent.
110. Qui verò, cùm renati fuerant, deficiunt rursum, hi ob hanc ipsam causam non sunt ex electis, quia deficiunt. Qui si mansissent in bonitate (sicut implorato Spiritus sancti auxilio manere poterant) ex electis vtiq; fuissent.
111. Et conseruasset Deus hos quoque ad salutem, si non ipsi se sponte rursum auertissent à sancto præcepto, quod eis traditum fuit, z. Petri 2.
112. Quemadmodum certè causam omnem, quòd ij, qui renati aliquando fuerant, rursum excidunt, & quidem nonnulli eorum finaliter, Scriptura non in Deum reijcit, aut eius æternum aliquod decre-

decretum de absoluta illorum reprobatione factum, sed in ipsis met homines aperte confert, Ezech. 18. Rom. 11. Heb. 6. & 10. 2. Pet. 2. Apocal. 2.

113. Idcirco licet ratione præscientiae Dei certum numerum esse electorum Dei non negemus, quatenus Deo, quem nihil latere potest, certò constat, qui, & quot credituri sint, & ad finem perseverantur: tamen cum numerum ad certas quasdam personas absolute restrictum, aut sic fatalem esse, ut nec auctior fieri potuerit, nec contractior: id verò constanter pernegamus.

114. Paulus enim contractiorem illum fieri potuisse luculenter edocet, quando se(quem ex electis esse, & in bono permansurum esse non dubitabat) nihilominus reprobum fieri posse pronunciat, si carni suæ frenum non inijciat, I. Cor. 9.

115. Christus porrò auctiorem illum potuisse fieri confirmat, cum ipsos etiam Tyrios & Sodomitas, si tanta miracula, quanta in Gallæ ciuitatibus, apud ipsos edita forent, conuerti, & saluari potuisse, religiosa attestacione palam assuerat.

116. Quæ assueratio de nihilo foret, si ab illo saluandorum & electorum numero Sodomitæ per absolutum decretum fuissent rescissi.

117. Certus autem fuisset nihilominus & omniscio Deo cognitus ille numerus, quicunq; tandem futurus erat, si vel Paulus factus esset reprobus, vel Sodomitæ conuersi vicissim, saluatiq; fuissent.

118. Ex his, quæ dicta sunt, liquet, infinitum esse discrimin inter particularitatem Caluinisticam illam, & particularitatem à Christo notatam, cum ait: Pauci electi.

119. Primò enim causam eius particularitatis & præteritionis, que in ipsa electione constituitur, faciunt Caluiniani non incredulitatem & impoenitentiam hominum præuisam: sed ipsammet primam & supremam, simplicem & absolutam Dei voluntatem, causas, ut ipsi loquuntur, omnes reliquas antegressam.

120. Christus econtra præteritionis istius causam non in antecedentem Dei voluntatem confert: siquidem, quoad voluntatem illam beneficam Dei, qua sitit & expetit omnium hominum salutem, N E M O Q V I S Q V A M in toto genere humano est præteri *Vide libri Visitatio-*
tus.

121. Adeò, vt si Electio hac sola voluntate Dei, citra reliquarum *nisi Apolo-*
Causarum geticum.

causarum aspectum, definiretur, omnino tam late pateret electio,
quam voluntas illa Dei.

122. Sicut autem in conuersione & saluatione fit praeteritio,

Ezech. 33. non ex voluntate illa Dei (vult enim conuerti & saluari omnes ho-
mines) sed ex defectu reliquarum causarum, quae ad efficien-
dam hominum conuersionem & salutem pertinent, & verò ho-
minum culpâ interuertuntur: sic & in electione fit praeteritio non
ex voluntate misericordiae Dei, (quae ad vniuersum mundum se
extendit) sed itidem ex defectu causarum reliquarum ad electio-
nis efficientiam requisitarum: ut tam non possit dici, Omnes homi-
nes esse electos, quam nec affirmare licet, Omnes homines conuerti
& saluari.

123. Interim sancte asseueramus, nos pius alere & conser-
uare consensum cum sinceris ijs Doctoribus, qui hanc Dei volun-
tatem nominârunt electionem, dicentes, Deum elegisse omnes
homines ad vitam æternam, sumpto Eligendi verbo in significa-
tione minus propria: dummodò fateantur, æternam Dei electio-
nem, si in proprio suo significato, ut eam Scriptura definit, accipia-
tur, solummodò esse τὸν μελλόντων πιστεύειν επ' αὐτῷ εἰς ζωὴν αἰώνιον, I.
Tim. 1. hoc est, corum, qui CREDITVR erant in ipso ad vitam æ-
ternam.

124. Nam quod obijcitur, omnem voluntatem esse προεπιθέντην,
id est, electiuam, seu cum electione coniunctam: ambiguitas est in
latino vocabulo, quae græcorum vocabulorum distinctione solui-
tur.

125. Aliud enim est προεπίθεσις, quae est voluntatis in agendo de-
terminatio, de qua Philosophus differit libro tertio Ethicorum: A-
liud verò est επιλογὴ, qua de loquitur Scriptura, & electorum sepa-
rationem ab alijs, vivocis significat, teste Mose, Salomone, Christo,
Paulo.

Certe pa-
ter, sic fuit

euđonia
bona VO
LVNTAS
spudate.

126. Alias si quis in hac disputatione Philosophicum illud pro-
nunciatum de omni voluntate electua morosè vrgeat: quid a-
liud lucrabitur, quam quod Calvinistarum dogmati patrocinabi-
tur.

127. Etenim, quia Deus abscondit mysterium Euangelij à pru-
dentibus huius seculi, idq; teste Salvatore, VOLENS (voluntate vi-
delicet non antecedente, sed consequente, & ingratitudinem mun-
di puniente) sequetur vi axiomatis illius sūmistrè intellecti, Deum
pruden-

prudentes huius seculi ELIGERE, & prædestinare ad hanc pœnam:
quod Caluinianum est.

128. Sic quia de filiis Eli dicitur : Non obedierunt Patri suo,
quia Dominus VOLVIT illos occidere (scilicet ob completam men-
suram impietatis) quia clamat Apostolus: Deus VOLENS ostendere
iram suam, tulit multa animi lenitate vasa iræ: Certè si o-
mne velle Dei est eligere, aut prædestinare, sequitur, Deum fi-
lios Eli ad occisionem, vasa iræ autem ad ostensionem iræ elegi-
se & prædestinasse: quæ ad vnguem est Caluinistarum impia do-
ctrina.

129. Cæterum, ut in instituto progrediamur, Caluiniani particu-
laritatem ingerunt ipsi quoque Redemptionis operi à Christo præ-
stito, docentes flagitosè, Christi carnem pro impijs non esse cruci-
fixam, nec sanguinem eius expiandis eorum peccatis esse fusum.
Quæ Caluini sunt verba, multoties à discipulis eius, quod alibio-
stensum est, repetita.

130. Nos hanc particularitatem corde & ore damnamus, & exe-
cramur: vniuersalitatem verò meriti Christi constanter asserimus,
profitentes cum Ioanne: Christum esse propitiationem pro pecca-
tis nostris, non nostris autem tantum, sed etiam TOTIVS MUNDI,
I.Ioan.2.

131. Atq; sic mortuum esse pro vniuersis ad vnum hominibus: et-
iam pro pereuntibus, teste Apostolo Rom.14. & I.Corinth.8. Cuius
sanguine sanctificati fuerant ij quoq;, qui cùm essent inserti Eccle-
siæ Dei, postea prolapsu vniuersali deficiunt, & æternū intereunt,
Heb.10. Quin & eos MERCATOR est Christus, qui abnegando hunc
redemptorem suum ipsi sibi celerem accersunt damnationis interi-
tum, 2.Pet.2.

132. Ut compendio dicamus, Deus per Christum reconciliauit
cuncta erga se, pacificatis per sanguinem crucis eius per eundem, si-
ue quæ in terra sunt, siue quæ in cœlis, Ephes.1. Coloss.1. Huic vni-
uersalitati redemptionis & meriti Christi repugnat è diametro par-
ticularis electio Caluinistica, vt pote, cuius vi redemptio illa non v-
niuerso mundo, sed quibusdam duntaxat absolute prædestinatis
parta & acquisita sit.

133. Nos verò particularitatem Electionis, qua remouetur
à Deo causa præteritionis, & in spretum usum mediorum salutis
confertur, non opponimus vniuersalitati meriti Christi (quod

tum fieret, si diceremus, vi prædestinationis absolutæ quosdam à beneficio redemptionis Christi simpliciter esse reiectos) sed eidem illam ὑπαλλήλως subiçimus, imò Electionem SECUNDVM hanc UNIVERSALEM redemptionem explicandam esse monemus.

134. Non ita quidem, quòd vtrāmq; eiusdem putemus esse latitudinis, sed quòd Electio, quæ particularis est, redemptioni Saluatoris, quæ vniuersalis est, inclusa sit, & ex eadem promanet.

135. Quemadmodum & Diuus Paulus, Ephes. i. ex hoc fonte vniuersalis redemptionis, reconciliationis & restaurationis omnium, electionem nostri deducit, non quidem à quæ latè patentem (vt quæ non sola hac redemptione definiatur) sed particularitate sua redemptio vniuersali ὑπαλλήλως inclusam, eamq; ad hos refert, qui redemptionem Christi apprehendunt, hoc est (vt ipse met istic loci perspicuè declarat) ad sanctos, ad fideles, ad beneficios omni benedictione spirituali in cœlestibus, ad κεχαῖταιμένους, seu in gratiam receptos, ad adoptatos in filios, ad HABENTES redemptions illam Christi, per sanguinem ipsius, REMISSIONEM peccatorum: ad ascitos in sortem, nempè sortem SANCTORVM in lumine, Coloss. i. sortem competentem sanctificatis per fidem erga Christum, Actorum 26.

136. Nam & Iustificatio nostra ex eodem hoc fonte acquisitæ per Christum redemptio deducitur, & secundum illam explicanda est, nec tamen Iustificatio ipsa est vniuersalis omnium hominum, sed solorum credentium.

137. Denique Calviniani particularitatem ingerunt in sacrofandas promissiones Euangelicas, quas Deus vniuersales esse iussit ac voluit.

138. Nam præter id genus promissionum, quod fidei respectu limitatum est, sunt quædam, quæ simpliciter vniuersales sunt. Velluti: Sic Deus dilexit MUNDUM. Vt ego, nolo mortem impij, sed ut impius conuertatur & vivat. Deus vult, OMNES HOMINES saluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire. Conuertimini ad me, & salui eritis OMNES FINES TERRÆ. Annunciat Deus hominibus, vt OMNES VBIQUE resipiscant. Venite ad me OMNES, qui laboratis & onerati estis: ego reficiam vos. Non vult Deus, vt nullus pereat, sed OMNES ad poenitentiam

Ioan. 3.

Ezech. 33.

1. Tim. 2.

Isa. 45.

Act. 17.

Matth. 11.

2. Pet. 2.

tiam recipientur. Conclusit Deus omnes sub incredulitatem, vt Rom. 8.
OMNIVM misereatur.

139. Has vniuersales promissiones facere particulares, propter
anteceptam particularitatem Electionis absolutæ, quam somniant
aduersarij: extremè flagitiosum; & in æternam Dei maiestatem bla-
phemum est.

140. At particularitas Electionis à Christo traditæ, rejciens cau-
sam præteritionis non in Deum, sed in neglectum & contemptum
organorum salutis, intactam & inconuulsam relinquit promissio-
num istarum vniuersalitatem, & quod non omnes fructu promissi-
onum potiuntur & saluantur, culpam non penes Deum, sed penes
homines residere demonstrat.

141. Coronidis loco monebimus aliquid etiam de finibus præde-
stinationis. Primus est respectu Dei, laus misericordiæ Dei erga vasa
gratiæ, quæ præparauit in gloriam, Rom. 9. vt laudetur gloria gratiæ
ipsius, Ephes. 1.

142. Respectu nostri verò, in hac vita, vt sancti simus, & irrepræ-
hensibiles coram ipso, Ephes. 1. in seculo altero autem finis yltimus
gratuitæ nostræ prædestinationis est vita æterna.

143. Ex his finibus, quatenus illi in sola Dei intentione vertuntur,
non licet argumentari ad vniuersalem Electionem omnium homi-
num exædificandam.

144. Non enim firma est connexio: Laus gloriæ gratiæ Dei (quæ
est finis Electionis) est communis omnibus hominibus; (siquidem
omnes sumus conditi ad gloriam Dei) Ergo & Prædestinatio, seu
Electio est communis omnibus hominibus.

145. Nam probatio Antecedentis confundit diuersos status homi-
nis, ante, & post lapsum. Omnes creati sumus ad gloriam Dei, ratio-
ne primitiæ iustitiae concreatae.

146. Hæc postquam lapsu primorum parentum amissa est: iam in
reparatione, post lapsum, condimur in Christo Iesu ad gloriam Dei,
non immediata ratione, sed mediata, per verbum vera fide suscep-
tum.

147. Sic finis iste, gloria nimirum Dei, non iam dependet ex no-
stri creatione, qualis ea contingit hodie interueniente generatione
parentum, sed ex creatione noua, quæ est παλιγγενεσία ex aqua &
spiritu.

148. Iuxta illud: Si quis est in Christo Iesu, noua creatura est, 2. Co-

rinth.5. Et Esa. 43. Qui IN VOCAT NOME N DOMINI, ad gloriam
meam creauit illum.

149. Ergo finis iste (gloria gratiæ Dei) haud perinde cunctis post
lapsum communis est. In multis enim finis longè alius sese offert, vi-
delicet manifestatio iustitiæ, & ostensio iræ Dei, ut de vasis ignomi-
niæ, à Diabolo ad interitum apparatis, Paulus Apostolus expressè te-
statur, Rom. 9.2. Tim. 2.

150. Idem respondetur de fine altero, qui est, ut simus sancti & ir-
reprehensibles coram ipso, Ephes. I.

151. Etenim si propterea Electio statuenda foret omnium promi-
scuè & indifferenter hominum, quia eligimur, ut simus sancti & ir-
reprehensibles: Quidni etiam Iustificatio pertineret ad omnes, cùm
ob eundem istum finem iustificemur etiam, ut videlicet sancti simus
& inculpati coram Deo?

152. Sicut autem non procedit argumentum de Iustificatione: Ita
nec de Electione.

153. Agitur enim de fine, non ut ille in sola Dei intentione pen-
satur, (qua ratione apud plerosque per incredulitatem interuer-
tur) sed ut is vera fide apprehenditur.

154. Quod cùm à paucis fiat, Electio quoq; ut & Iustificatio, non
omnium, sed scriptura teste, paucorum est. Ettantum de Electio-
ne filiorum Dei.

F I N I S.



FRANCOFORTI AD MOE-
NVM EX OFFICINA TYPOGRA-
PHICA IOHANNIS SPIESIL.



A N N O
M. D. X C I I I .

EVANGELIUS AD MOL
NUMEROZISSIMA TYPOGRA
PHICA IOHANNIS SPIEGEL



A N N O

M D XCIII

99 A 6909



SL

VD 17

Rehö

Fl. 69.

Farbkarte #13

B.I.G.



7
DE AETERNA PRAE-
DESTINATIONE FILIORVM
DEI AD SALVTEM

Propositiones Theologicæ:

PRÆTERITO MENSE IV-
NIO IN ACADEMIA VVITEBERGENSI DI-
fputata, nunc verò recusæ, ad refellendum impudens mendacium
HEIDELBERGENSIVM Theologorum de Pelagiana hæresi,
quam illi Theologis VVitebergensibus, absq; ulla prorsus ratione,
mente, fronte, pudore & conscientia nequiter im-
pingere nonsunt veriti.

A V T O R E

AEGIDIO HVNNIO, S. THEOLO-
GIAE DOCTORE ET PROFESSORE IN
Academia VVitebergensi.



FRANCOFORTI AD MOENVM
excudebat Iohannes Spies.

M. D. X C I I I.